

seu secreto, arg. l. *Consensu*. § *Super plagis*. c. *de Repudiis*. At vero secus esset dicendum, ubi ex natura cujuscumque facti, v. g. in publica via peracti, poterant alii testes occurrere, licet casualiter non interfuerint; tenet Alexander, consil. 64, n. 5 et 6, lib. I; Mascardus, *de Probat.* concl. 1306, n. 9; Farinacius, quæst. 62, n. 62, cum plurimis aliis, quos allegant, assereantibus, quod tunc testes infames, vel aliunde inhabiles non admittantur ad testificandum: « Quia, inquit, ubi ex natura actus poterant alii testes intervenire, tunc est casus contingens, quod non intervenerint; non autem est casus necessitatis, ob quam licitum est recedere a regula juris communis: multa enim permittuntur ob necessitatem, quæ alias non permitterentur, c. *Quod non est licitum*, 4, *de Reg. jur.* cum similibus. Oppositum tamen, nempe quod in casibus, ubi certum est, aut saltem verisimile, alios testes non adfuisse, licet ex natura actus intervenire potuissent, testes cæterorum inhabiles sint admittendi in subsidium, ipsisque fides adhibeatur, si non ad condemnandum pœna ordinaria, saltem ad infligendam pœnam extraordinariam, vel ad torturam, esse tenendum; atque ita pluries se vidisse servari, et quidem suo iudicio melius, assertit Jul. Clarus lib. V, *Pratic. crimin.* § fin. quæst. 24, n. 20. Rationem dat, quia eadem ratio propter quam doctores cæteri moventur, nempe difficultas probationis, ita militat quando constat alios testes non interfuisse, sive dein interesse potuissent, sive non.

Notanter tamen n. 51. additum fuit, « tunc isti admittuntur pro probatione in subsidium, » etc. Quia talibus personis infamibus non creditur quantum ad convincendum; sed quantum ad præsumptionem: unde si adsunt alia præsumptiones, valent; per se autem non sufficerent, neque constituerent plenam probationem. Glossa in cap. i. §. *Confessi*, et §. *Confessus de Confessis*, estque dictum supra tit. XVIII. *de Confessis* n. 107. et seqq.

53. *Item, quando infamis ab utraque parte fuit rogatus.* — Fallit tertio eadem regula, quando infamis rogatus fuit ab utraque parte, ut testis esset: quia tunc præsumitur ejus fides mutuo partium consensu approbata, et sic creditur ei etiam sine tormentis; alias non. Glossa in Auth. *de Testibus*. § *Et licet*. §. *Et supplicis*. collat. 7; Baldus in cap. ii, nu. 3, h. t.; Jason, cit. l. *Cunctos populos*, n. 67,

C. de Summa Trinitat.; Farinacius, quæst. 56, n. 92.; Mascardus, d. concl. 1363. n. 53. et alii.

54. *Et si infamis tempore dati testimonii non reputabatur talis. Valet testamentum, ad quod servus, vel infamis adhibitus fuit, quando tunc communi opinione reputabatur liber, vel bonæ famæ.* — Fallit quarto, si infamis tempore dati testimonii non reputabatur talis: tunc enim valet ejus testimonium. Desumitur hoc ex l. *C. de Testament.* ubi in simili dicitur valere testamentum, ad quod testis servus, sed communi opinione tunc reputatus liber, adhibitus fuit: ac notat Bartolus, ibid. § 1. inde concludens, « quod debet inspicere conditio testis putativa eo tempore, quo adhibetur testimonium, non post. » Alexander, consil. 24, n. 37. vol. 2. id ipsum docens de teste infami; ac pro se allegans Glossam fin. in l. *Cum lege* ff. *de Testament.* quæ ait, quod infamis potest esse testis in testamento, « nisi constet apud omnes, » quod sit infamis. Mascardus, ubi supra. n. 55; Pirhing h. t. n. 17; Farinacius d. quæst. 56, n. 86. allegans plures alios. Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud proxime citatos auctores videndæ: nam præmissæ sunt cæteris notabiliores, scituque utiliores.

55. *Criminosus, quis?* — Quæritur III. Utrum, et quando criminosi sint repellendi a ferendo testimonio? Ubi prænotandum, quod nomine *Criminosi* hoc loco non intelligatur ille, qui commisit crimen inducens infamiam juris (de tali enim criminoso in quæstione præcedenti dictum est), sed ille, qui commisit crimen grave, seu peccatum mortale, non habens annexam infamiam juris. Et censetur quis criminosus, sive de tali crimine jam fuerit in iudicio convictus, et confessus, aut condemnatus, sive illud cuiquam nunc opponatur, et probetur: prout desumitur ex c. *Super eo*. 13. et c. *Testimonium* 54. h. t. ac notat Farinacius cit. quæst. 56. *de Testib.* n. 128 et 129.

56. *Criminosus vel adhuc perseverat in crimine, vel jam est emendatus. Et quomodo probetur emendatus?* — Porro criminosus hujusmodi vel adhuc perseverat in crimine, vel jam est emendatus, nec eum comitatur infamia, cit. c. *Testimonium*, h. t. Censetur autem quis emendatus de crimine, quando probaverit se egisse pœnitentiam, saltem per sacerdotem: qualis probatio tunc requiritur, quando crimen non adeo est occultum, quin possit probari per testes. Abbas in cit. c. *Testi-*

monium, n. 14. h. t. Probato autem, quod quis pœnituerit, amplius non dicitur malus, can. *Ferrum*. dist. 50.

57. *Criminosus post lapsum triennii honeste peracti, censetur emendatus.* — Quinimo criminosus etiam post lapsum trienni præsumitur emendatus, si tanto temporis intervallo ab improbe factis se abstinuit, et in bonis honestisque actionibus se exercuit. Desumitur hoc ex Auth. *de Monachis* § *Sancimus ergo*. collat. 1 ubi inter alia dicitur, « quod etsi vitium in priori torte gestum est vita, attamen sufficit ad mediocrem purgationem peccatorum, et ad virtutis augmentum, triennalis temporis testimonium: » ac notat Jason l. *Si prius*, num. 43. vers. « Tu ergo dic. » ff. *de Novi oper. nuntiat.*; Felinus in c. *Cum deputati. a princip. de judiciis*; Mascardus, *de Probat.* concl. 466. n. 10 et alii ab his allegati. Quibus prænotatis,

57. *Criminosus jam emendatus admittitur in causis civilibus ad testimonium: secus, si nondum est emendatus.* — Resp. I. Loquendo de causis civilibus, vel criminalibus civiliter motis, tunc criminosus jam emendatus, et quem non comitatur infamia, admittitur ad testimonium: repellitur autem, si nondum est emendatus, sed perseverat in crimine. Textus est in d. c. *Testimonium*. 54. et ibi Glossa §. *Emendatus*. et Abbas, num. 6. et Barbosa, num. 1. et h. t.; Mascardus, *de Probat.* concl. 465, num. 1. et 6. Farinacius d. quæst. 56, num. 126. et 134. ac seqq. et alii.

59. *Istud spectato jure canonico procedit, dummodo crimen testi objectum legitime probetur, licet antea de eo non fuerit condemnatus.* — Atque istud spectato jure canonico procedit, dummodo crimen testi objectum legitime probetur, etiamsi quis antea de eo nondum fuerit condemnatus; uti liquet ex c. *Super eo*, 13. h. t. ubi summarium, Joan. Andreas, et Abbas sic summant: « Crimen nunc probatum repellit testem, etiam alias de illo crimine non damnatum. »

60. *De jure tamen civili requiritur, ut de crimine ille fuerit antea judicialiter condemnatus.* — Additur tamen, « spectato jure canonico. » Nam de jure civili, ut testis ob peccatum mortale, seu crimen non inducens intamiam juris repellatur, requiritur ulterius, quod is de tali crimine antea judicialiter fuerit condemnatus; prout desumitur ex l. III. § *Lege Julia* ff. h. t. et l. *Athletas* § *Calumniator* ff. *De iis, qui not. infam.* ubi dicitur,

quod « calumniator ita demum notatur infamia, si fuerit calumniæ causa condemnatus: neque enim sufficit calumniatum. » Glossa fin. in d. c. *Super eo*. et Abbas ibid. num. 3. et Felinus n. 3. h. t.; Pirhing, na. 19. eod.; Farinacius d. quæst. 56, num. 129, et alii. Qui proin hac ratione solvunt contraria, et concordant jura iuribus, dicendo, quod secundum leges tunc demum a ferendo testimonio repellatur criminosus, quando jam fuit condemnatus de crimine: secundum canones autem sufficiat, quod nunc possit convinci, seu crimen contra eum probari.

61. *In causis criminalibus criminaliter motis, repellitur testis criminosus. In his requiruntur indistincte probationes apertissimæ, ac testes carentes omni suspitione, vel macula.* — Resp. II. Loquendo de causis criminalibus criminaliter motis, testis criminosus, ut supra, repellitur a testimonio indistincte: hoc est, sive perseveret in crimine, sive jam fuerit emendatus. Textus est in cit. c. *Testimonium* 54. h. t. ubi Glossa §. *Confessus*. Abbas, num. 1; Barbosa in *Collectan.* num. 1; Farinacius cit. quæst. 56, num. 135; Pirhing h. t. nu. 22. et alii ab his citati. Concordat c. *Super eo*, 13. h. t. Accedit etiam ratio: quia criminosus, contra quem crimen est probatum, non est testis omnino integer; cum omne peccatum mortale, secundum canones, inducat infamiam canonicam, ut dictum supra num. 36. Atqui in causis criminalibus criminaliter motis requiruntur probationes apertissimæ, et omni exceptione majores, l. *Sciant cuncti*. C. *de Probat.* debentque testes esse sine omni infamia, suspitione vel macula manifesta, cap. i. *de Exception.* et can. *Testes*. 2. q. 7. et c. *Super eo*. 13. h. t. ergo.

62. *Adeo, ut etiam ex unico crimine quis repellatur.* — Atque illud ampliatur, ut etiam ex unico crimine quis repellatur a testimonio. Ita quippe desumitur ex textu cit. c. *Testimonium*. h. t. ubi a principio dicitur in singulari, quod merito reprobatum testimonium ejus, « cui a parte adversa opponitur crimen. » Abbas ibid. n. 3; Farinacius, loc. cit. n. 133. et alii.

63. *Cur iudex criminosus non infamis, nequeat per exceptionem partis repellere a iudicando; bene tamen testis criminosus?* — Dices: Iudex criminosus non infamis, nequit per exceptionem partis repellere a iudicando; ut tenet Joan. Andreas, cap. ult. n. 4. *de Cleric. excomm. minist.*; Abbas in c. *Testimonium*. n. 4; Felinus ibid. n. 4. h. t. allegans plures

alios; ergo nec testis criminosus potest repelli a ferendo testimonio, nisi sit infamis. Resp. neg. consequent. et paritatem. Disparitas est, quia iudici semel constituto jus iudicandi plene est acquisitum; sicque eo privari non debet, nisi causa cognita per superiorem deponatur ab officio suo: secus est in teste criminoso. Accedit alia ratio, tum quia majus periculum est in teste, quam in iudice: cum ab isto, si quis se gravatum senserit, possit appellari; non item a teste, postquam admissus est, tum quia non præsuntur verum dicere, qui peccat in Deum, eo quod peccatum sit contrarium veritati, ean. *Non potest.* 2. q. 7. ubi inter alia dicitur: « Non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidus »: ac proinde criminosus merito repellitur a testificando. Secus est in iudice, quia non testificatur, sed inter partes dijudicat: nam hoc etiam criminosi bene præstare præsumuntur, exemplo iudicis iniquitatis, de quo *Luc.* XVIII, 2 et seq. fit mentio.

64. *Dantur nihilominus plures casus, in quibus criminosus emendatus admittitur pro teste, in causis etiam criminalibus. Puta, in criminibus exceptis; et quando veritas aliter haberi nequit.* — Resp. III. Dantur nihilominus plures casus, in quibus criminosus, sed jam emendatus, admittitur pro teste in casus etiam criminalibus criminaliter motis. Ita Mascardus *de Probat.* concl. 463. n. 10. et seqq.; Farinacius cit. quæst. 56. *de Testib.* nu. 136. et seqq.; Jul. Clarus, lib. V. § fin. quæst. 24, nu. 19. et seqq. et alii. Sic imprimis contingit in criminibus exceptis, juxta dicta n. 50. *Secundo*, quando veritas aliter haberi non potest: quia tunc etiam admittuntur testes infames, saltem in subsidium, ut jam dictum est supra n. 51. et 52. Multo magis igitur idipsum est concedendum de Criminoso non infami, simulque jam emendato.

65. *Item, parte non opponente.* — Tertio id accidit parte non opponente. Nam quando pars adversa nihil opposuit contra testem criminosum, quem sciebat esse talem, postea, seu post factam ejus examinationem amplius opponere nihil potest: censetur enim tunc in personam talis testis tacite consensisse, eamque approbasse, arg. 1. *Si quis testibus.* juncta Glossa *ŷ. Excipere.* C. *de Testib.*; Felinus, c. *Testimonium.* n. 3. *de Testib.*; Pirhing h. t. n. 25; Mascardus, loc. cit., n. 22. et alii.

66. *Ad repellendum testem criminosum non sufficit objicere crimen in genere.* — Quin imo

ad repellendum testem criminosum non sufficit objicere crimen in genere; sed oportet, ut fiat specificatio ipsius criminis, istudque objiciatur, et probetur in specie, una cum adiectione loci, et temporis. Desumitur hoc ex c. *Præsentium.* § penult. et ult. h. t. in 6. ac notat Glossa in c. *Pastoralis.* *ŷ. Potestate de Exception.* et c. *Pia.* *ŷ. Speciem.* eod. in 6; Mascardus, d. concl. 463, num. 23; Farinacius, loc. cit. num. 142, allegans plures alios; et Jul. Clarus d. § fin. quæst. 53, num. 2. Boerium, decis. 321. num. 2. asserens hanc esse communem opinionem. Quanquam notorie criminosum possit iudex ex officio repellere, neque teneatur sequi dictum ejus: Anchanarus in c. *Testimonium.* nu. 4. et Felinus ibid. num. 3. *de Testib.*; Pirhing h. t. n. 25; Farinacius cit. quæst. 56. n. 143. et alii. Adde in simili dicta paulo superius nu. 43. *de Teste infami.*

67. *Testes criminosi admittuntur ad probandam innocentiam rei.* — Quarto testes criminosi possunt, et debent admitti, si producantur ad defensam, seu ad probandam innocentiam rei. Pirhing cit. num. 23; Mascardus, *de Probat.* concl. 1363, num. 17; Farinacius d. quæst. 56, n. 137; Jul. Clarus cit. § fin. quæst. 24, num. 20, allegans Speculatorem tit. *de Inquisitione.* § 1. num. 22. et Ant. Gomesium cap. XII. *Delictorum.* num. 23. attestantem de communi opinione: quamvis subjungat hoc ita esse intelligendum, non ut testes illi omnino probent; sed ut deinde, inspecta facti et personarum qualitate, iudicis ipsius religioni relinquatur, quanta eisdem fides sit adhibenda, juxta textum vulgarem in I. III. § 2. *de Testib.*

68. *Ac in causis, in quibus non requiritur plena probatio.* — Quinto admittuntur testes criminosi in illis causis, in quibus non requiritur plena probatio, sed sufficit aliqua levis et apparens: neque tunc admittitur testium repulsio. Menochius, *de Arbitrar. judic.* l. I. quæst. 32. num. 11.; Farinacius, quæst. 62, num. 206, qui istud exemplificant in casu I. ult. c. *de Edicto D. Adriani tollend.*; Pirhing h. t. n. 25. et alii.

§ III

DE SERVIS, IMPUBERIBUS, MINORENNIBUS, MULIERIBUS ET PAUPERIBUS, SEU TESTIBUS MINUS DONEIS.

69. *Servi, seu mancipia, prohibentur simpliciter esse testes in iudicio.* — Quæritur I.

Utrum servi possint ferre testimonium in iudicio? Resp. Inter eos, qui simpliciter prohibentur esse testes in iudicio, cumprimis sunt servi, seu mancipia proprie dicta. Textus est in Auth. *de Testibus.* § *Si vero dicatur*, juncta Glossa *ŷ. Ita sit*, collat. 7, et can. *Si testes.* § *Servi et Liberi.* 4, q. 3, et c. *Forus.* 10, *de Verb. signif.* ubi hujus ratio redditur, illis verbis. « Si liber, non servus: nam sæpe servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. » Accedit, quod servitus mortalitati fere comparetur, I. *Servitutum.* ff. *de Reg. jur.* Unde etiam quoad actus legitimos, seu « quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur, » ut dicitur I. *Quod attinet.* ff. eod.

70. *Nisi in defectum aliarum probationum, ac in exceptis criminibus.* — Fallit hoc in defectu aliarum probationum: quia cum alia probatio ad eruendam veritatem non est, etiam servi respenso credendum est; prout limitatur in I. *Servi.* ff. h. t. et I. *Cum probatio.* ff. *de Probation.* et cit. can. *Si testes.* § *Servi.* 4, q. 3. Fallit id ipsum in exceptis criminibus: nam in his admittuntur testes etiam inhabiles; ut c. *In fidei.* 5, et c. *Accusatus.* 8, § *Licet de Hæretic.* in 6; Speculator tit. *de Teste.* § 1, n. 39; Farinacius *de Testibus.* quæst. 53, n. 173, et seqq. estque in simili jam dictum supra tit. XVIII, *de Confessis.* § 4, n. 98, et seqq.

71. *Servi tamen adscripti, et originarii sunt homines liberi, nec excluduntur a ferendo testimonio.* — Additur etiam notanter in data conclusione, « Servi, seu mancipia proprie dicta. » Nam secus est dicendum de servis adscriptitiis, atque originariis. Hi enim, licet quandam cum servis similitudinem gerant, eo quod sint adstricti Dominis suis ad colendam certam globam: tamen re ipsa non sunt servi, sed homines liberi: I. *Diffinimus,* c. *de Agricol. et censit.* lib. II, et cap. II, *de Judæis.* Atque ideo a legitimis actibus, ferendoque testimonio non excluduntur, dummodo aliud non obstet. Glossa in cit. cap. II. *ŷ. Sint liberi.* *de Judæis*; Speculator ubi supra, n. 40; Pirhing h. t. n. 8, et alii.

72. *Pupilli et impuberes, regulariter excluduntur a ferendo testimonio in quacumque causa.* — Quæritur II. Utrum, et qualiter pupilli seu impuberes, ac minorenes, sint excludendi a ferendo testimonio? Resp. I. Pupilli, seu impuberes regulariter excluduntur a ferendo testimonio in quacumque causa; idque fit ob lubricitatem consilii sui. Textus

est in I. III. § *Lege Julia.* ff. h. t., ubi Glossa *ŷ. Impubes.* et *ŷ. Lubricum*; Speculator cit. tit. *de Teste.* § 1, n. 33; Farinacius, *de Testib.* quæst. 53, n. 1, allegans plurimos alios, et istud intelligens non solum in causis criminalibus, sed etiam civilibus.

73. *An etiam in testamentis: adeo, ut eorum testimonium si ipso jure nullum.* — Atque istud ampliatur, ut impubes (hoc est, masculos minor quatuordecim annis, et foemina minor duodecim annis completis) etiam non possit esse testis in testamento: ut § *Testes autem.* Instit. *de Testament.* el. I. *Hac consultissima.* C. eod. Adeo, ut impuberis testimonium sit ipso jure invalidum et nullum, etiam parte non opponente. Farinacius, cit. quæst. 58, n. 12, post Angelum in § 1, n. 3; Auth. *de Testib.*

74. *Fallit data regula in certis casibus. Impuberes possunt esse testes in matrimonio.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio procedit solum regulariter, ac patitur nonnullas fallentias, in quibus impubes admittitur ad testificandum. Probatur hoc inductione, per quam patebit, etiam impræsentiarum locum habere vulgatum illud: « Nulla regula sine exceptione. » Sic imprimis loquendo de duobus testibus, qui præter parochum debent interesse matrimonio contrahendo in locis recepti concilii Tridentini sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.* et quidem sub nullitate actus: hujusmodi testes possunt etiam esse impuberes, dummodo sint rationis compotes, et intelligent, quid agatur; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 32, n. 138; Sanchez, lib. III, *de Matrim. disp.* 41, n. 4 et 5. Layman, lib. V. *Theolog. moral.*, tract. X, part. II, cap. IV, n. 6, et alii. Siquidem concilium Tridentinum, loc. cit. ad valorem matrimonii, præter parochum, simpliciter requirit duos testes, neque in ipsis requirit specialem aliquam qualitatem; ergo nulla alia requiritur præter eam, quæ jure naturæ est necessaria ad testificandum, nempe ut quis sit compos rationis, ac sufficienter intelligat, quid agatur. Accedit, quod citatum decretum concilii Tridentini sit correctorium juris communis; ergo non est extendendum, sed, quantum patitur verborum proprietatis, restringendum: eo præsertim, quod sit irritans matrimonium, cujus causa est favorabilis, cap. ult. *de Sentent. et re judicat.*

75. *Atque in causis civilibus saltem ad faciendum iudicium.* — Deinde allata conclusio fallit etiam in causis civilibus loquendo de